Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 535
Quelle:
Copyright:

tium hic adſcribam: *Nouitates has veſtre dominationi ſcribere poſſumus, quomodo Imperator thurcorum* (Mahometes II.) *ſua valida potencia et cum nonnullis ingeniis* (machinis et tormentis) *ad expugnandum caſtrum Nandralbenſe uenerat* &c. Nulla in utraque Epiſtola *Job. Capiſtrani* mentio.

XXI. *fol.* 186. Alia *Anonymi* de eodem Argumento Epiſtola data: *Ex wienna curſorie feria II. In die Sancti Steffani pape et martiris. Anno domini* MCCCCLVI. Itaque intra dies 8. Nuntius *Belgrado Viennam* adſecutus eſt. Initium: *Uenerabilis domine heri clauſis literis veſtre f. p. mittendis venerunt noua ex vngaria* &c. Narrantur duo chriſtiani de Turcarum exercitu Gubernatori *(Job. Hunyadi)* indicaſſe Hoſtis conſilia, inde illum clam noctu XL. Millia Peditum et quaſi M. Equites *Belgrado* induxiſſe. De *Capiſtrano* haec: *in pinnaculo in loco eminenti caſtri ſtans crucifixum erigens clamabat flebili ejulatu: O deus meus, o yheſu, vbi ſunt miſericordie tue antique. O veni veni in adiutorium. Noli tardare. Veni libera, quos precioſo ſanguine redemiſti. Veni noli tardare, ne dicant; vbi eſt deus eorum &c. Hec de capiſtrano non comprehenduntur in littera gubernatoris. Sed qui aſcendunt dicunt, vt etiam affirmat dominus Michael baldoff, qui heri ſero venit de domino legato* (Johanne Card. S. Angeli Budae morante) *&c. qui vidit quod bude tantus iubilus fuit cum campanis omnibus et ignibus &c. — Litera lecta eſt heri domino patauienſi* (Ulrico de Nuſsdorf Ep.) *et dominus Job. mulfelder ita nobis retulit, quod huniad ſcripſit tot eſſe interemptos, de quorum numero neſcit.* Mox criſin exerit Epiſtolographus: *Pauci nobiles ibi fuerunt, ſed ſolum mechanici. Vereantur effeminati nobiles, qui tam egregium actum neglexerunt, ſuperbie ſolum inherentes, et que vanitatis ſunt, ſectantes, non que honoris dei et ſtatus eorum.* Captas ait: *Bombardas XII. maximas de XXXII. palmis in longum et in latum VII. et buffnitzbugſchen* (Haubitzbüchſen ab Hufe, Hube, Haube?) *CC. et vltra. Hoc ſcribit gubernator filio ſuo* (Matthiae?) *ut regi referat* &c. — *Iſta littera heri ſero ad baden miſſa eſt;* (Thermas nempe 4. horis Vienna diſtantes, ubi tum Ladislaus moratus fuerit) *Hodie hora nona reuerſa legatio per totam ciuitatem equitauit buccinis precedentibus proclamando, quod omnes uolentes recipere ſtipendia a regia maieſtate veniant* &c. Epiſtolae ſubjecti ſunt *rhythmi* quidam rudes eandem victoriam celebrantes.

XXII. *fol.* 188. *Rudolffus dei gratia Epiſcopus wratisl. Apoſtolice ſedis legatus &c.* Literae datae, ut in calce: *Venerabili et circumſpecto diſcretisque viris domino Job. Lanſteyn decano, Jacobo Tyrner Semiprebendario, Hermanno fritag et Henr. Sweden Vicariis*